

auditis solum aliquibus peccatis eos absolvere, et confessionem reliquorum peccatorum gravium in aliud tempus differre? R. *Negative*; quia ex dictis ab integritate materiali non excusat, nisi impotentia physica vel moralis; atqui concursus poenitentium nullam inducit impotentiam: ergo. Vide Propos. 59. ab *Innoc. XI.* damnatam. *Confirm.* Si propter magnum concursum liceret dimidiare confessionem, plurima sequerentur inconvenientia, tum quia plurimis peccatis onusti plerumque expectarent talia festa, quibus inculpate liceret mediam tantum partem peccatorum excutere in aures Confessarii, tum quia illa forte peccata omitterent, ex quorum notitia deberent a Confessario salutaria media praescribi. *Stoz* L. 1. P. 3. n. 67. ubi addit: *Meminerint Confessarii* (qui in magno concursu tantum solliciti sunt, ut multos audiant) *melius esse, paucos bene audire, quam multos perfunctorie et male.*

577. Q. IV. An peccata in confessione omissa ob instans periculum vitae, vel ob aliam gravem causam non exposita, debeant adhuc in sequenti confessione exprimi? R. *Affirmative*. Patet ex propos. 11. damnata ab *Alex. VII.* Ratio est, quia Christus Dominus (ut loquitur *Tridentinum* sess. 14 c. 5.) Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides, et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint: atqui peccata mortalia ob periculum vitae, vel aliam gravem causam omissa nondum sunt delata ad Sacerdotem: ergo cessante periculo adhuc debent deferri; et hic est usus, sensus et praxis Ecclesiae.

578. Q. V. An verecundia excuset ab integritate materiali? R. *Negative*: quia verecundia per se et ex natura confessionis proprii delicti sequitur. De hac *Trid.* l. 1. mox cit. ita docet: *Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur.* Ideoque invalidae sunt confessiones et repetendae, in quibus omissa sunt ex verecundia peccata mortalia.

579. *Adverte* 1. Quod gravia incommoda, quae ex integritate confessionis obventura timentur, ut inducant impotentiam moralem, debeant esse extrinseca confessioni, sive non immediate, et per se oriri ex ipsa confessione; ideo non licet peccatum grave omittere, etsi praevideam, quod Confessarius, qui me antea iudicavit valde pium, mei aestimationem in se sit imminuturus: nec licet omittere peccatum, propterea quia timeo, subeundam esse magnam confusionem apud Confessarium, modo aliud damnum non sequatur. Ratio est, quia haec et similia per se et immediate ex confessione consequuntur, quae tamen illis difficultatibus non obstantibus a Christo fuit praecepta. *Esparza* q. 90. a. 2. ad 3.

580. *Adverte* 2. Metus alicujus mali, vel incommodi, ut excuset ab integritate materiali, debet esse gravis *ex opinione gravi fundamento subnixus*, v. g. si certa experientia constet, quid sibi vel aliis contigerit: si certo sciret confitens, alias hunc Confessarium peccatum jam revelasse, vel ad flagitium invitasse etc. Ratio est, quia praeceptum de integritate confessionis est in possessione, cui praevalere nequit superveniens dubium, vel levis suspicio poenitentis de detrimento aliquando sibi eventuro.

581. *Adverte* 3. Ut sufficiat integritas formalis, praeterea requiritur necessitas hic et nunc confitendi tali Confessario. Si enim absque gravi incommodo vel tuo vel tertii possis adire alium Confessarium, eique integre confiteri, vel differre confessionem aliquamdiu, non urgente praecepto, vel scandalo non obstante, ad hoc teneris. *Palao* T. 23. D. un. p. 11. n. 5.

582. Q. VI. An Superior auditis tantum reservatis possit sacramenta-

liter absolvere poenitentem, et remittere illum ad alium Confessarium pro obtinenda absolutione a non reservatis? R. Non licet, quia supponitur, neque adesse impotentiam physicam, neque moralem. Pariter si urgeat praeceptum confitendi, et nequeas adire superiorem, confiteri teneris Sacerdoti inferiori omnia peccata etiam reservata, qui in tali necessitate tantum indirecte a reservatis absolvat, tibi autem postea incumbit onus adhuc comparandi coram Superiore, ut directe absolvaris a reservatis. *Bonac.* Disp. IV. de Euchar. Q. 6. punct. 1. n. 31. E contra *Duarte V.* Confessio. n. 141. resolvit, quod poenitens non tantum ob vitandum scandalum aut infamiam, sed etiam, ne per longum tempus debeat omittere confessionem et communionem, possit dimidiare confessionem, aperiendo inferiori tantum non reservata. At praeplicet prior resolutio.

583. Q. VII. An poenitens, quando non potest aliter explicare suum peccatum, quam manifestando complicem sive socium criminis, et neque alteri confiteri, nisi illi, cui uterque notus est, obligetur ad illud manifestandum? Respondet *affirmative* *Babenst.* l. c. n. 46. cum *S. Th.* in 4. Dist. 16. q. 3. a. 2., *Lugone* et aliis. Quia infamatio complicitis in tali casu aequae est immediate conjuncta cum confessione, quam infamatio poenitentis. Porro de Sacramento poenitentiae, quod est ad complices in peccatis duas edidit constitutiones *Benedictus XIV.* prima incipit: *Suprema omnium Ecclesiarum*; altera vero: *Ubi primum.* Utramque illustravit commentariis *Lud. Anton. Muratori*, e quibus sequentes regulas pro Confessariis Theologia moralis *P. Antoine* recens impressa tradit.

584. I. Inquirere nomen poenitentis non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates et circumstantias, quae personam illius detegant sine ulla rationabili causa ... Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

585. II. Non licet poenitenti nomen complicitis revelare; ejus enim est peccata sua, non aliena accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famae proximi sine ulla necessitate detrahit.

586. III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen et ignorantia, complicitis nomen in confessione detegit, uti rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat; monendus tamen est, ut imposterum absteineat. Juvat hic addere regulam *P. Laym.* l. c. n. 13. Si Confessarius advertat, poenitentem paratum esse ad nominandum complicem circa ea peccata, quae sine complicitis agnitione intelligi possunt, prohibere illum debet.

587. IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte complicem in confessione revelat, nullum incurrit peccatum. Ejusmodi titulus est, ut petatur consilium ad rumpendam pravam consuetudinem, ad consulendum famae propriae, cui minatur insultum complex, si a peccato desistatur: potior enim est tutela conscientiae et famae propriae, quam alterius.

588. V. Nomen complicitis sibi sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

589. VI. Ad integritatem confessionis licite potest ac debet Sacerdos poenitentem interrogare de complice, cum videlicet occurrere possit circumstantia speciem peccati mutans: neque enim e. g. sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

590. VII. Confessarius in hoc casu interrogans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret a poenitente, per quae sibi persona complicitis revelaretur, graviter peccaret; suo enim debito satis poenitens fecit aperiendo circumstantiam peccati, et dum caetera rite concurrant, absol-



vendus est; ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere poenitens tenetur.

591. VIII. Quando ex necessitate integritatis confessionis advertit poenitens, fieri non posse, quin Confessarius complicem sit cogniturus, puta, si res fuit cum sorore, aut uxore fratris, tunc ex sententia quorundam gravium Theologorum obligatur ad quaerendum alium Confessarium; cui ignotus sit complex. Alii vero TT. sentiunt, consilium hoc esse, non praeceptum; si enim, ut ait *Laym.* L. 5. t. 6. C. 8. n. 12., complici non aliud damnum eveniat, quam quod ejus fama apud solum Confessarium laedatur, posthabendum id est majori bono servandae integritatis: utitur enim tunc poenitens jure suo, et complex hoc aliquale famae dispendium sibi imputare debet, quando tale crimen admisit, quod coram legitimo iudice aliter explicari nequit.

592. IX. Accidere interdum potest, ut adigendus sit poenitens ad revelandum complicem, cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quae in perniciem Reipublicae vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur poenitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia aut per se, aut per ipsum poenitentem remedia conquirat: nisi revelare velit poenitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiae quam charitatis tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privatae alicui personae imminere potest, non loquor; nam fere semper suppressis complicum nominibus, consilium praebere potest Sacerdos.

593. X. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire aut extorquere a poenitentibus nomina complicum absque justa necessitate velit: gravius etiam delinquit, si ob negatam revelationem absolvere poenitentem recuset.

594. XI. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem complicis exigeret, ut per operam suam correptio et correctio illius praestaretur; nam Confessarii munus tantummodo est, curare vulnera poenitentis, non vero aliena; exquirere peccata poenitentis, non aliena. De eodem puncto ad primam constitutionem *Benedicti XIV.* addit *Muratorius* l. c. Ad haec quisquis ex notitia complicis in confessione habita, quamvis licentia poenitentis confisus, complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est; indignatur enim, quicumque secreta sua crimina detecta videt, suaeque famae vulnus illatum a Confessario. In querelas igitur is facile erumpet, et sigillum sacramentale fractum suspicabitur, et Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamabit: quae certe in perniciem Religionis vergere possunt.

595. Denique in Commentario ad primam constitutionem: *Suprema omnium Ecclesiarum*, idem *Muratorius* ait, quod in ea praxis eorum prescribatur, qui nullum justum titulum habentes complicum nomina scrutantur, et indebitae curiositatis reos se statuunt. Neque enim sapientissimus Pontifex damnationem ad eos casus extendit, in quibus aut integritas confessionis, aut publica necessitas, aut poenitentis ipsius conscientia exigit, ut poenitens complicem revelet. Quod cum accidit, ipsum poenitentem hortari, interdum etiam adigere potest ad revelandum, omissio tamen nomine et loco habitationis, si fieri potest.

#### CASUS VI. De fidei confessione.

*Leonardus confitetur: Ego sum maximus peccator: deliqui contra*

*omnia praecepta Decalogi, et Ecclesiae. Quaerit Confessarius, quomodo deliquerit contra primum praeceptum. Respondet Leonardus: Nescio. Quaeritur ulterius, quid ergo commiserit contra alia praecepta. Item reponitur: Nescio. Infert Confessarius: Ergo mentiris dicendo, quod peccaveris contra omnia praecepta. Subjungit poenitens: Bene monet; nihil scio, quam quod nuper mentitus suim in confessione.*

596. Q. I. Quale peccatum sit mentiri in confessione? R. I. Mentiri in confessione circa materiam gravem et necessariam confessionis, est peccatum mortale; sic graviter peccat primo, qui negat se commisisse peccatum mortale, quod scit a se fuisse commissum, neque legitime hucusque in confessione expositum, neque justam negandi causam habet. Secundo, qui affirmat, se commisisse mortale, quod non fecit: in utroque enim casu graviter decipit Confessarium non sine gravi irreverentia Sacramenti. *Laym.* l. c. n. 15. Huc pertinent illi, qui majorem numerum peccatorum gravium, item qui dubia pro certis, et certa pro dubiis studio, non ex simplicitate exprimunt, de quibus supra n. 554.

597. R. II. Mentiri in confessione circa materiam sufficientem quidem, non tamen necessariam ad confessionem, est peccatum veniale; sic leviter peccat, qui affirmat, se commisisse hoc vel illud veniale, quod scit a se non esse commissum. *Excipe:* nisi fortassis hoc peccatum sit unica materia confessionis: tunc enim graviter peccaret, quia subiceret Sacramento materiam minime sufficientem, cum non peccatum non sit materia absolutionis. Leviter etiam peccat, qui negat se commisisse aliquod mortale, quod hic et nunc non tenetur confiteri, vel quia per legitimam confessionem jam est remissum, vel quia habet justam et gravem causam illud omittendi. *Stoz* L. 1. P. 3. q. 2. n. 33. cum *Suarez*, *Coninck*, et aliis.

598. R. III. Mentiri in confessione in materia ad eam non pertinente, qualis est materia de se indifferens, et quae non continet rationem malitiae, peccatum grave vel leve est, prout grave vel leve esset, si extra confessionem fieret: sic leviter peccat, qui negat patriam aut nomen: omnino non peccavit, qui interrogatus de nomine respondit: Nomen meum non est peccatum. Eodem modo Leonardus noster non peccavit graviter, si ex simplicitate dixerit, se deliquisse contra omnia praecepta, quia plerumque rudes tali modo nil aliud volunt exprimere, quam se esse peccatores; secus si scienter falso id dixisset.

#### CASUS VII. De Confessione annua.

*Ludolphus se accusat, quod tempore paschali confessus quidem fuerit, sed sacrilege; ideo a Confessario jubetur repetere omnia tum ommissa, tum invalide exposita peccata, cui Ludolphus: Reverende Pater, nullum peccatum omisi, imo et absolutionem a Confessario impetravi; is autem vel ex ignorantia, aut alio errore non advertit, quod noluerim deserere proximum peccandi occasionem.*

599. Q. I. An Ludolphus, qui fecit confessionem voluntarie nullam, satisfecerit praecepto annuae confessionis? R. *Negative.* Vide *Propos.* 14. inter damnatas ab *Alex. VII.* Ratio est, quia qui voluntarie sic confitetur, non adimplet rem praeceptam; Christus enim et Ecclesia veram confessionem cum necessario dolore, proposito, et absolutionis receptione praecipunt. Hinc Ludolphus peccavit tum peccato omissionis non adimplendo praeceptum, tum peccato commissionis sacrilegium committendo per confessionem invalidam ex defectu voluntario propositi.

600. Q. II. An huic praecepto Ecclesiae satisfaciatur, qui facit confessionem nullam non culpa propria, sed Confessarii? R. Si defectus Con-



fessarii, v. g. quod careat jurisdictione, aut debita intentione absolventi etc. non sint noti poenitenti, satisfacit: quia talis non voluntarie, sed inculpabiliter fecit confessionem nullam; tenetur tamen confessionem repetere, ubi postea expertus fuerit nullitatem. *Duarte V.* Confessio n. 122.

601. *Hisce resolutionibus* adde I. Qui toto anni tempore ex justa vel injusta causa praeceptum confessionis non implevit, tenetur postea, cum primum poterit, confiteri: tempus enim non appositum est, ut exspiret praeceptum, sed ad statuendam obligationem, et ne diutius differatur confessio. *Duarte V.* Confessio n. 123. ubi addit, quod talis toties peccet, quoties oblata occasione omittit confiteri. Contrarium tenuit *Ledesma, Archidiaconus*, et alii.

602. II. Qui praevidet tempore paschali, vel toto anno sequente sibi defuturam copiam Confessarii, tenetur anticipato huic praecepto satisfacere; sicut qui praevidet, quod non possit audire ultimum Sacrum die festo, tenetur unum ex praecedentibus audire; tempus enim, ut supra dixi, non est annexum ad tollendam obligationem: ergo sicut praeceptum obligat post elapsum tempus, quo illud impletum non est, ita ante illud, quando futurum praevidetur impedimentum. *Fagundez* in 2. Praec. Eccles. L. 1. C. 4. n. 16. cum *Sylv.*, *Adriano* et aliis.

603. III. Qui confitetur Regulari ab Ordinario approbato, satisfacit praecepto confessionis annuae: ita declaravit *Clemens X.* in Constit. quae incipit: *Superna* cit. a *Duarte* l. c. n. 126., *Azor* tom. 1. L. 13. C. 2., *Adrianus* in 4. de Confess. q. 5. Qui vero confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato, non satisfacit praecepto annuae confessionis. Vide *Propos. 13.* ab *Alex. VII.* damnatam. „Hic etiam notandum, merito damnatam esse ab *Alex. VIII.* propositionem 20. quae ita habet: *Confessiones apud Religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae*; merito etiam damnatam esse immediate sequentem „21., quia Novatores ista asserentes falsis nituntur suppositis, scil. primo, „falso dicunt, laxitatem in injungendis poenitentibus a Religiosis inductam „esse, ideoque confessiones apud ipsos factas plerumque vel sacrilegas „esse, vel invalidas, propterea quod ob facilem aditum, quem habent ad „Religiosos, a quibus leves poenitentiae injunguntur, saepe deficiat propositum non peccandi de caetero. *Secundo*, falso docent, nimiam in poenitentia injungenda Religiosorum Mendicantium benignitatem oriri ex „spe largioris eleemosynae a poenitentibus obtinendae, ut idcirco Parochus „possit suspicari, quod ab iis nimis leves satisfactiones hac de causa imponantur. Falsitas utriusque patet 1. ex eo, quod praesens consuetudo „Ecclesiae in administratione Sacramenti poenitentiae etsi benignior, substantialiter tamen non differat ab antiqua licet rigidior. 2. Rigorem antiquum in poenis infligendis jam ante saeculum decimum tertium, quo „Religiosi Mendicantes initium duxerunt, Ecclesia remisit, ut ostendit „*Viva* in cit. prop. 21.; teste enim *Morino* statim post saeculum undecimum poenitentiae exterioris severitas decrescere, minui et obsolescere coepit. 3. Bene sciunt Mendicantes, grave esse piaculum, ob spem lucri „temporalis aliorum culpis connivere: ergo sine enormiter temeraria suspitione nemo tam gravis peccati poterit accusare Mendicantes, utpote „viros, qui ob specialem vitae immaculatae professionem, ob diuturnum „studium, ob frequens exercitium in resolvendis conscientiae casibus, et „propter accuratum examen, antequam approbentur, se satis aptos probant ad digne administrandum poenitentiae Sacramentum. *Duarte V.* Confessio n. 144. Vide etiam Decretum *Clement. VIII.* n. 481. relatum.

604. IV. In praxi quidem suadendum est omnibus, qui nonnisi pec-

cata venialia habent, ut et ipsi praeceptum confessionis annuae observent, seque per gratiam sacramentalem contra tentationes irruentes roborent; ita docet usus omnium doctorum ac piorum fidelium; absolute tamen sub gravi peccato non obligantur hoc praecepto. *Ratio prima* est: quia *Trid.* sess. 14. cap. 5. cit. n. 513. expresse docet, peccata venialia etsi utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam posse: ergo cum praeceptum confessionis, ut est divinum, se non extendat ad venialia, neque se ad ea extendit, ut est ecclesiasticum, cum tanta obligatio ex claris verbis alicujus legis nequeat probari. Ita *Fagundez* l. c. L. 2. C. 2. n. 8. cum *Nav.* in Manuali C. 12. n. 10 et 40., *Victoria*, *Toledo* et aliis contra *Cajet.* et fere omnes illos, qui docent, votum et juramentum de re etiam levi obligare tamen sub gravi peccato. *Ibid.* addit *Fagundez* n. 19. cum *Angelo* contra *Nav.*, *Azor* et alios, quod nec obligemur sub veniali ex praecepto Ecclesiae semel confiteri in anno, quando mortalibus caremus: idque probat ex eadem ratione. Tridentinum enim l. c. disserte dicit, venialia citra culpam taceri posse. *Secundo*, quia alioquin venialia jam non essent materia mere sufficiens, ac voluntaria Sacramenti poenitentiae, sed aliquo modo obligatoria.

605. V. Juxta eundem *Fagund.* l. c. L. 1. C. 6. causae excusantes ab hoc praecepto sunt 1. *Impotentia physica*, v. g. si non detur copia Confessarii; nemo enim tenetur ad impossibile. 2. *Impotentia moralis*, quando confessio fieri non potest sine gravi incommodo. Notandum vero, licet hic et nunc occurrat causa excusans a confessione unius vel alterius peccati, propterea non excusari quemquam ab impletione hujus praecepti, et confessione aliorum peccatorum mortalium, quia tunc tenetur reliqua confiteri tacendo illa, propter quae prudenter timet grave incommodum, cum obligatione ea confitendi, cessante causa excusante. Vide dicta a n. 574.

606. VI. De jure communi transgressor hujus praecepti vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura, ut patet ex c. *Omnis utriusque sexus*. L. 5. Decret. tit. 33. de poenit. et remiss.; ideoque talis ipso facto non incurrit excommunicationem, sed a iudice prius ferenda est sententia. Addit *Canus* in relectione de Poenit. part. 5. has poenas non posse incurri, nisi quando transgressio praecepti est manifesta; quia tunc in iudicio crimen potest probari, ut illi poenae imponantur. Dixi, de jure communi: nam teste *Fagund.* in aliquibus dioecibus uti in tota Lusitania, excommunicatio ipso facto imponitur hujusmodi transgressoribus, et haec ibi incurritur ipsa omissione confessionis annuae, etiamsi sit occultissima, et in iudicio externo probari non possit.

607. VII. Circa aetatem, in qua pueri baptizati ad hoc praeceptum adstringantur, ita statuit cit. cap. *Omnis utriusque sexus fidelis*, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur. Ex quibus communior docet, quod pueri incipiant obligari, quando adepti sunt sufficientem rationis usum, ita ut sint doli, sive peccati mortalis capaces, et sufficienter sciant discernere inter bonum et malum, licitum et illicitum; rationis enim usus non ex aetate, sed ex discretionem pensandus est. Unde ex communi praesumptione parvuli non ante septimum aetatis annum, recte autem post illum completum censentur obligari ad confessionem sub praecepto ecclesiastico. Vide dicta P. 1. n. 208. Quod autem statim (moraliter loquendo) post annos discretionis obligentur, probatur ex eo, quia tunc juxta communioem obligantur aliis Ecclesiae praeceptis, v. g. audiendi Missam, diebus prohibitis abstinendi a carnibus; ergo etiam tum obligantur praecepto confessionis. Ita *Coninck* D. 5. de Conf. Dub. 5. n. 50., *Henriq.* L. 4. de Poenit. C. 5.